



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Reverendissimo Domino, D. Gvilhelmo Episcopo Argentinensi, Principi
Alsatiaë, Domino clementiſſimo, Iustus Ionas Gratia[m] & Pacem Dei in
Christo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

REVEREN

DISSIMO DOMINO, D. GVILHELMO EPISCOPO ARGENTINENSI, Principi Alsatiae, Domino clementissimo, Iustus Ionas Gratia
& Pacem Dei in Christo.



IN HISTORIAM hanc & prophetiam Ione, Reuerend. Domine, si carnalis aliquis incidat lector, potius dixerit quam historiam. Hinc & Lucianus pleraque talia ridet, que

admodum et ipsam resurrectionem mortuorum (cuius Ionas typum gerit) mundi sapientes & Philosophi explodunt, habentque pro fabula. Sic & in historia Abraham, qui centenarius, genuerit filium, prima fronte nihil magni, nihil grauius rerum uidetur docere & casu accidisse, ut senex feliciter operam liberis dederit & ex anu sustulerit filium. At cum hinc tam in speciem, inani & nude historie suus contigit artifex Apostolus Rom. 4. ibi primum apparet, non ieiunam aut exuccam narrationem esse historiam Abrahami: sed eiusmodi clausam ibi latere sapientiam, & maximarum rerum cognitionem, prae

EPISTOLA NVN

qua tota mundi philoſophia et ſapiētia ſtultitia ſit: ibi primū argumenta illa, quæ alius lector ne ſuſpicari quidem potuiſſet: ibi aſtruſa latuiſſes, uelut ex theſauro diuitis patris familias deſcuntur in tempore, quibus penè ſolis Paulus in hac egregia epiſtola ad Romanos, nō dubitat totam religionis cauſam cōtra omnem Iudeorum, iuxta ac Græcorū ſapientiam non modo munire: ſed ut firmiſſimis fundamentis mædificare, et ſuperſtruere. Si igitur q̄ in Abrahami hiſtoria fecit Paul. idem feciſſet in explicādo Ionæ hiſtoria, cuiusmodi putas de maximis rebus pietatis, de pauorib. percuſſæ & perterritæ cōſciētiae, de luſta fidei, de agone illo extremo, in quo egre uel ſanctiſſimi perdurant. Pauli calamo, habere uemus depictum Ionam. Nunc uero non Paulus, nō Petrus, aut aliquis ex prophetis, ſed Chriſtus ipſe. oſtendit nobis quid ex hiſtoria Ionæ diſcere, aut fructus boni percipere poſſimus. Chriſtus ipſe, uocationem illam, & dona ac ſpiritum Ionæ magnifice prædicat, cum inquit, Surgēt Niniuitæ in iudicio cum generatione hac, et cōdemnabunt eam, qui poenitētiam egerunt, ad prædicationem Ionæ prophete. Tanquā inſigne opus dei Lucas in actis deſcribit q̄, ad unam contionem Petri crediderint tria milia. At hic Chriſtus Niniuitas dicit credidiſſe ad prædicationem Ionæ, hoc eſt, ipſum regē potentiſſimū

tun
&
pop
hoc
do
Etus
tas
rib
miſ
Co
&
illa
tun
gia
Id
ere
tia
fra
gn
pr
bi
fia
tu
as
ill
ta

tunc

CVPATORIA.

tunc orbis monarcham, tot principes et magnates
 & maximam illam multitudinem, in tam ampla &
 populosa urbe. Maximū omnino robur spiritus in
 hoc propheta fuit, qui ex humili & demisso, pau-
 do & fugitivo, sic repente factus est alacer & ere-
 ctus. Sic contra totum mundū & omnes inferi por-
 tas euasit inuictus, ut nulli postea terrores tam hor-
 ribiles incidere potuerint, quibus hic propheta sub-
 miserit animum. Hoc est nimirum quod Paulus ad
 Corinthios dicit, Cum infirmor, tunc robustus sum
 & uirtus in infirmitate perficitur. Hæc est nimirū
 illa uictrix, Resurrectionis Christi potentia, cuius iā-
 tum Ionas non modo typum gessit, sed uim & ener-
 gian post tantam mortis acerbitatem expertus est.
 Ideo Christus prophetarum Dominus, quamuis Hi-
 eremias 40. annis in populo Israel magna constan-
 tia prædicarit. Esaias eciam & alij suum cursum,
 frementibus contra principib. & potentibus mundi
 gnauiter absoluerint, tamen hunc prophetam Ionā
 præ ceteris insigni ornauit præconio. Deinde &
 hic propheta Ionas proponit nobis tam egregium
 fidei exemplum, ut in tota scriptura, cum Veteris
 tum Noui testamenti, non facile excellentius inueni-
 as. Vix enim ullū extat alibi exemplum, ubi agonē
 illum, et acerrimam illam luctam, laborantis, decer-
 tantisq; fidei descriptā uideas expressum. Proinde,

EPISTOLA NVN=

& Christus ipse, Ionam, suae mortis & resurrectionis typum esse adfirmat, cum inquit: Quemadmodum Ionas tribus dieb. & tribus noctibus fuit in uentre ceti: ita filius hominis, tribus diebus & tribus noctibus erit in corde terrae. Maxima autem piorum sapientia est, mortis & resurrectionis Christi cognitio: eam sibi unam praeter omni sapientia, praeter tota iusticia legis, optat uberem contingere Paulus, adfirmans tam esse excelsam & sublimem, ut in hac uita, etiam sanctissimis, ibi semper aliquid relinquatur in quod proficiat. Sic enim ad Philippen. Non quod apprehenderim, inquit, sed adnitior &c. Hanc igitur summam sapientiam, hanc Christi cognitionem, in hac Ionae historia, ueluti quadam insigni pictura, proponere uoluit nobis spiritus sanctus. Eam picturam intueri subinde, & ob oculos habere debemus, qui cunq; inenarrabili dono Dei ad hunc gradum summae sapientiae peruenimus, ut omni cognitione, omnique scientia ditati, sciamus quantus thesaurus sit, quae excellens & solida beatitudo, bonitatem et praesentiam Dei cernere, ac sentire auxilium. Sunt enim quidam hoc seculo matheologi, plane τῆ τοῦ κοινῆ-
 voi, qui cum sibi uideantur πρὸς τὴν σὴ μὲν, &
 subinde noua dogmata spargant in uulgus: tamen in minimis habent hanc fidei & remissionis peccatorum doctrinam: & cum in omnibus alijs magnificis &c.

CVPATORIA

ee et fortiter theologice, tantum huius articuli
 qui uniuersae pietatis caput est & summa, sunt in se
 gniter rudes. Cū igitur etiam hoc tempore, quo prae
 superioris seculi inopia, abundamus praeceptoribus.
 & libris: cum in sacris, tum etiam alijs literis, tanta
 sit ignorantio illius summi articuli, nempe cognitio-
 nis Christi, etiam in his qui quotidie novos libros cō-
 sarcinant, et soli religionis magistri haberi uolunt:
 ut pro uirili inuarem eos qui sana doctrina ex ania-
 mo afficiuntur, hunc cōmentarium germanicum la-
 tine uerti: qui quāto de Christo et fide differat dex-
 terius et sanius, q̄ hi qui nunc sua somniade Eucharis-
 tia, uerbosissimis libris obtrudunt orbi, facile iudicabūt
 uere pij & spirituales lectores. Illas autem in Ionā
 Prophetam enarrationes, à Luthero primū germa-
 nice cōscriptas, latine nunc redditas, T. P. R. inscri-
 bendas esse duxi. Cum enim prae omnibus Germaniae
 Episcopis, nomen tuum, praeclaris illis tuis uirtuti-
 bus feceris toto imperio celebre, & nō modo apud
 Cas. M. & summos principes magna polleas au-
 thoritate: sed & à plerisque non ineruditis hominibus
 ab excellentia ingenij, singulari prudentia, & non
 mediocri doctrina laudatus sis: libēter tibi tali prin-
 cipi, specimen eius doctrinae, in qua uersor, & quā
 probo, dedi: sperans fore, ut cum ipse ames literas
 & honesta studia, correctius sis inter pia & impia

EPISTOLA NVN

scripta iudicaturus. Grauis iam ubiq; auditur que
 rela temporum, quasi per Lutheri doctrinam abor-
 lita sint multæ ceremonie, omnes illi cultus disti-
 pati in Ecclesijs: grauiore, tunc fuissent, si licuisset
 proderet genitus & occulta suspiria cordium, ubi
 nemo bonus non uehementer dolebat, sublatam &
 extinctam esse doctrinam Christi, & nō modo sub-
 latam, sed pro Christo, cucullum Minoritarum ridi-
 culas nugas, & mera somnia prædicari. Hoc nostro
 seculo autem, quotquot sunt bonæ conscientie, ex
 animo gaudent, hanc doctrinam puram Euangelij,
 sic dono inenarrabili Dei productam feliciter in lu-
 cem, & quasi diuinitus renatam, ut rursus sciri pos-
 sit quæ uera uia sit consequendi æternam salutem,
 quæ uera Dei cognitio, quid per Christum acceperi-
 mus, unde in tentationibus peccati, in agone & ter-
 roribus mortis, animi firmam satis & solidam pos-
 sint habere cōsolationē: traditur enim sincere iam
 doctrina fidei, in qua tota summa sita est pietatis.
 Ad hæc, cognoscitur per Euangelium, quæ uita ge-
 nera Deo placeant: Quo honore affici debeant ma-
 gistratus, quid sentiendū sit de legibus et ordinatio-
 nibus politicis. Hæc non ita multos annos proorsus
 ignorabantur in omnibus templis: in omnibus sug-
 gestis citius ebuccinabatur nomen Barbaræ, S. Anto-
 nij, & simulium duorum, quàm Christi. Franciscus
 solus

solus apud Minoritas excelsior caelo erat. Quae uita
 ta genera pia et Christiana essent, ignorabatur. Nam
 conjugati, deinde reges, principes, & qui Reipub.
 praerant, iure consulti, milites, reliqui qui potestati
 inseruiunt, praeter Episcopos & monachos, seculares
 & mundani uocabantur, & in statu putabatur esse
 damnationis. Quicquid non ex fide est, inquit Pau-
 lus, peccatum est. Cuiusmodi igitur diluuium putas pec-
 catorum, iacebant obruti atque submersi magistratus,
 equites, milites, qui nihil minus credebant quam suum
 uitae genus institutum esse a Deo, aut probari deo: qui
 solos monachos sanctos, se uero prophanos et secu-
 lares esse putantes: nihilominus, sine fide redarguen-
 te intus conscientia, in his uitae generibus quae ipsi sen-
 tiebant esse contra Deum, & impia persequerantur
 & manserunt. Hinc plerique inter eos prorsus tan-
 dem desperantes, in omne scelerum genus dederunt
 se praecipites: quidam in agone mortis, conscientiae
 furis misere agitati, arces, castella, purpuram, quid
 non? pro redimendis suis peccatis ad templa dede-
 runt et monasteria. Pro hac ergo doctrina, pro hoc
 Euangelio, nunquam satis gratus futurus est orbis,
 quod nos in tanto luto peccatorum lucentes, quasi
 porrecta dextera subleuauit, ut quilibet in suo statu
 nunc sciat quae sit sua uocatio, quid postulet Deus,
 quae sint bona opera, quae uere placeant Deo. Hoc

EPISTOLA NVN

donum omnino maius et excellentius est, quam nob
 verbis aut cogitationibus ullis assequi possimus. Sed
 obijcient quidam, magnam tranquillitatem fuisse in
 Ecclesia, antequam exoriretur hæc doctrina. Nunc
 magnos motus in Rebus pub. hereses & seditiones
 excitatas esse. Legamus Vetus & Nouum testa
 mentam, quando unquam mundus illum audiuit pro
 phetam, aut apostolum, quem non persecutus sit.
 Quo unquam seculo, Sathan contra sanam doctri
 nam non excitauit hereses & pseudapostolos. Si
 qui igitur sunt homines Neophyti, & uera pietatis
 imperiti, qui quadam gloriæ cupiditate, de Euchari
 stia & Baptismo, noua & impia dogmata spargunt,
 ipsi, ut Apostolus ait, incerti, quid loquantur aut de
 quibus adfirment, cum illis nihil nobis commune est.
 Primus horum in medio Euangelij cursu exortus est
 Carlostadius, qui quanquam inquietissimi animi sui
 furijs subinde incitatus, immânia damna dederit in
 Ecclesia et Rep. tamen longe horribilius nociturus
 erat, sine ingenio nisi natura eum infantem finxisset
 omniaq; ui ademisset instrumenta ad nocendum.
 Si qui nunc sunt simili fanatico spiritu correpti, qui
 contra dignitatem Sacramentorum, non modo blas
 pheme & impie docent, sed et politicas leges et or
 dinationes, contra Verbum Dei conuellunt, & non mo
 do Ecclesie, sed & rerum publicarum nouam fore

Carlostadius
 primus Sacra
 mentarius.

mam moliuntur, ipsi adhuc incerti, quale ædificium
 hæc illorum constructio, quale sue ruinae futurae sint:
 cum illis nihil nobis conuenit, semperq; Euāgelistæ
 sine Euāgelio, & audaces ac gloriosi pseudapostoli,
 & sine Christo esse nobis uisi sunt: quod iudicium
 nostrum, ne fallat, aut uanum uideatur, ipsi de die in
 diem magis gnauer dant operam. Nos urgemus ar
 ticulum iustificationis, & doctrinam fidei, quam illi
 Neoprophetæ, ut uulgatam aspernantur. Enarravit
 hæctenus Lutherus Genesim, Deuteronomion, Exo
 dum, Psalterium, Abacuc, Zachariã, Esaiam; eiusq;
 lucubrationes & translationes sunt in maxima ad
 miratione, apud uere pios & eruditos. Et qualis tota
 sit doctrina Lutherana, quam pleriq; non auditam,
 non cognitam, tantum odio nominis damnât & con
 sputant, uel ex hoc uno in Ionam commentario esti
 mare licet, qui non solum nihil docet impij, sed & ea
 quæ afflictis conscientijs, in agone summo tentatio
 num maxime sunt necessaria, adeo tradit dextere, ut
 multi pij fateantur illum commentarium sibi in Psal
 terium, in Iobum, in omnes locos scripturæ, ubi loci
 summorum affectuū fidei incidūt, maxime usui esse.
 Rogo igitur hoc saltem abs te Reuerēdis. Pater im
 petrari patiari, ut posthabitis tot iniquis præiudi
 cijs eorum, qui cane peius & angui, oderunt nomen
 Lutheri, legas has enarrationes, qui Ionæ historiam

EPISTOLA NVN

cum magno fructu pure explicant. Quidam optima scripta, ut Salomon ait, omnibus gemmis meliora, damnant tantum, & nondum lecta, proijciunt, qui huius sui inquisiti iudicij graues poenas dabit Deo, quod ne hoc quidem concedunt docentibus in Ecclesia, quod nunquam ausi sunt denegare, in foro aut iudicio, de umbra asini lurgantibus. Eam temeritatem & saeuitiam, omnibus seculis inauditam, non dubito à tuo ingenio, natura, natuq; prudentia alienissimam esse. Animaduerti enim multos eruditos, graues & honestos uiros, tibi præ reliquis Episcopis laudem tribuere, ingenij, prudentiæ, moderacionis, iudicij, diligentiae, & studij, earum rerum quæ ualeant ad conseruandã pacem in Rebus publicis, et retinendam concordiam doctrinæ in Ecclesia. Quare non opus erit, te uirum tanta sapientia præditum monere aut hortari, tantum orabimus Deum, ut & præclaris dotibus illis libeat tibi uti ad commoda publica. Ego autem ideo libentius ad te, tali captata occasione, scripsi, quod propter communem patriam, inde ab ineunte ætate, tuas uirtutes propius licuit inspicere. Deinde cum pater meus Ionas apud inclyatam Honsteynensium familiam in aliqua gratia fuerit, quem & ego in mea pueritia audiui, sepe de tuis diuinis uirtutibus & dotibus, præclare & magnifice sibi pollicentẽ, putari paternæ memoriæ atq; nominis

minis commendatione, meum quoque quaecumque
 officium, gratius tibi futurum. Sed nunc si forsitan
 nos parum digni habemur quibus aures tue pate-
 ant, ipsum summum & excellentissimum prophe-
 tam Ionam, ueterem aulicum, et in domibus Regum
 non ignotum contionatorem audire uelis, qui quo-
 maior princeps Episcopus fueris, eo praeclearius
 apud summum hominem, de rebus etiam summis &
 maximis differet, quas ut penitus sic & utiliter
 cognoscas, spiritum suum largiatur tibi

IESVS CHRISTVS amen.

Date VI. Mensis Iulij.

Anno. M. D.

XXX.

B 2